

546. *Renuntiatio matris quando noceat alicui.* — Quæritur III. An renuntiatio, qua filia dote accepta rite et valde renuntiat, noceat liberis ex tali filia natis, vel generandis. Resp. I. Si in renuntiatione expressum est, quod pro se et hæredibus renuntiet, etiam liberis nocet. Ita satis communis. Teneatque omnes, qui universaliter docent liberos excludi per renuntiationem factam a matre, inter quos est Surdus, consil. 133. n. 11. et 12. lib. I. Decius, consil. 118. et in l. *Pactum dotale de Collat.* et alii citati per Fachin, lib. III. cap. XXXIII. Ratio est, quia quantum ad bona fortunæ, et jura sua potest quis se, et hæredes obligare, « per *vulgaria juris*: » consequenter, si ita expresse paciscitur mater, liberi acquiescere debent.

547. Resp. II. Si nulla de hæredibus facta est mentio in renuntiatione, non nocet liberis, casu quo mater eorum ante avum, vel aviam tuit mortua. Fachin, lib. III. cap. XXXIII; Carpz, p. 3. *Constit.* 35. defin. 11; Dauth, in c. *Quamvis. de Pactis.* in 6. n. 44; Covarruvias, in c. *Quamvis. de Pactis.* in 6. p. 3. § 2. n. 4; Azorius, tom. II. lib. II. cap. XXVIII. n. 13; Bartolus, in l. *Qui superstitis. ff. de Acquir. hæredit.* et alii contra Molinam, disp. 579. n. 4; Surdus, consil. 133. n. 11. et 12. lib. I. Fundamentum est, quod licet mater per talem renuntiationem sit exclusa ab omni successione; per hoc tamen non manent exclusi liberi, utpote qui mortua matre: jure proprio succedunt avo, vel aviæ, arg. l. *Si quis filio. ff. de Injusto rupto.* Accedit, quod renuntiatio habeat tacitam hanc conditionem, si hæreditas fuerit delata, arg. l. I. ff. *de Hæred. vel act. vend.* et l. CLXXIV. ff. *de Reg. jur.* et l. *Qui superstitis. ff. de Acquir. hæred.*; atqui si filia renuntians ante matrem aut patrem renuntiatarium moritur, hæreditas ei non fuit delata arg. cit. l. I. ff. *de Hæred. vel act. vend.* patetque ex dictis: ergo. Nec obstat, quod in renuntiatione filia acceperit dotem. Nam contra est, quod pater teneatur dotare filiam l. fin. *de Dotis promiss.* et sola dos non impediatur, quin filia dotata adhuc succedat; dummodo conferat dotem, l. *Illam. c. de Collation.*

548. *Renuntiatio est stricte interpretanda.* — Quæritur IV. Quomodo sit interpretanda renuntiatio? ad quæ bona, et quousque se extendat? ac quando expiret? Resp. I. Renuntiatio est stricte interpretanda, nec extendenda ultra verborum proprietatem, aut communem renuntiandi consuetudinem, ac

ita intelligenda, ut renuntianti minus præjudicet. Carpz, p. 2. *constit.* 46. defin. 12. n. 6; Layman, lib. III. tract. V. cap. 7. n. 2; Gaius, lib. II. observ. 77. n. 5; Decius, consil. 352. n. 7; Torre, loc. cit. lib. II. cap. XV. n. 81, ac plurimæ Rotæ decisiones. arg. l. *Tres fratres. 35. l. Si unus. § Pacta. 4. et l. Emptor. 47. § Lucius. ff. de Pactis.* Ratio est, quia quæ contra jura sunt, ut renuntiatio de futura successione, arg. c. *Quamvis. de Pact.* in 6. stricte interpretanda veniunt per *vulgaria*.

549. *Et non extenditur ad feudalia bona.* — Resp. II. Renuntiatio non se extendit ad bona feudalia, nisi expressa de eis mentio fiat. Covarruvias, p. 3. in c. *Quamvis pactum. de Pactis.* in 6. n. 9; Molina, disp. 579; n. 22; Layman, loc. cit.; Torre, *de Pactis futuræ success.* lib. II. cap. XXXVIII. n. 12. et seq. Menochius, consil. 16. n. 25; Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. VII. n. 8. et communis aliorum. Ratio est, quia bona feudalia non tam jure hæreditario, quam ex pacto primi acquirentis devolvuntur: ut patet ex dictis supra tit. XX. *de Feudis.*

550. *Renuntians hæreditati paternæ potest eam a fratre vel alio iterum acquirere.* — Resp. III. Renuntians hæreditati paternæ vel maternæ potest eam jure hæreditario adhuc acquirere a fratre vel alio, ad quem renuntiata hæreditas devenit; si tali vel ab intestato, vel ex testamento succedit. Molina, loc. cit. n. 20; Covarruvias, loc. cit. n. 2; Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. VII. n. 6; Menochius, consil. 333. et communis aliorum. Ratio est, quia renuntians in tali casu non petit bona tanquam hæreditatem paternam, cui renuntiavit, sed fraternam, vel aliam, cui non renuntiavit.

551. *Ac retinet jus ad alimenta.* — Resp. IV. Renuntians hæreditati paternæ habet jus ad alimenta in casu necessitatis. Covarruvias, p. 2. in c. *Quamvis pactum.* § 6. n. 12; Baldus, in l. *Pactum. c. de Collat. quest. ult.*; Sanchez, loc. cit. n. 4; Menochius, consil. 71. a. n. 5. late probans, et plures alii contra non paucos apud citatum Covarruviam et Sanchez. Ratio est, quia jure prohibitum est futuris alimentis renuntiare, l. *Cum hi. 8. ff. de Transact.*

552. *Renuntiatio sub conditione deficit, deficiente conditione.* — Resp. V. Renuntiatio facta sub conditione regulariter loquendo evanescit, deficiente conditione. Torre, *de Pactis futuræ success.* lib. II. cap. XXXIV. et

XX; Merlin., *deels.* 253. n. 5. cum communi et certa aliorum. Ratio est, tum quia universaliter dispositio conditionalis deficiente conditione est ipso jure nulla, arg. l. I. c. *de Donat. quæ sub modo. l. Qui hæredi.* et l. *Mævius. ff. de Condition. et demonstrat.*; tum quia conditio nihil parit in esse; et hinc actus conditionalis non valet, conditione deficiente. l. *Cedere diem. ff. de Verb. signif.* et l. *Si quis. sub. condit. ff. Si quis ommissa causa.* Et ideo sequens renuntiatio, qua dicit soror: Renuntio hæreditati paternæ in favorem fratris mei; si hic nubit, et filios acquirit, invalida erit, si vel non nubat, vel nubens filios non acquirat.

553. *Sicut etiam facta ex certa causa deficit, deficiente causa.* — Resp. VI. Renuntiatio facta ex certa causa finali cessat, quando causa non adimpletur, vel cessat, aut non evenit. Donad., *de Renuntiat.* tom. I. cap. XIX. per totum; Fontan., *de Pactis nuptial.* p. 1. claus. 9; Glossa, un. n. 83; Torre, *de Pact. futur. success.* lib. II. cap. XXXIII. n. 224. et seq.; Molina, decis. 362. n. 11. et communis aliorum, arg. cit. l. I. c. *de Donat. Quæ sub modo.* Ratio est, quia universaliter causa expressa regulat actum, et datum ex aliqua causa, revocatur causa non subsecuta, l. I. *de Condict. causa data.* Vide Barbosam, *de Axiomat. jur. axiomat.* 40.

554. *De renuntiatione. Remissive.* — Plura *de Renuntiationibus* vide apud civilistas, præsertim in l. fin. c. *de Pactis.* quorum aliqui integros tractatus scripsere de hac materia. Item apud canonistas in c. *Quamvis pactum. de Pactis.* in 6. In quod pulchre Covarruvias. Insigniter etiam *de Pactis futuræ successio-* nis integrum tractatum scripsit Joannes Torre. Specialiter etiam hic agendum esset de renuntiationibus, quæ fiunt a novitiis, vel sæcularibus intuitu ingressus in monasterium. Sed de hac infra tit. XXXI. *de Regular.*

555. *Jus accrescendi quid?* — Quæritur V. Quid sit, et quibus competat jus accrescendi? Resp. I. Ut si est jus, quo pars vacans cedit, et accrescit parti sub uno toto quasi sociæ jam occupatæ. Calvinus, in *Magno Lexi. jur. 7. Accrescendi jus.* et est in re communis. Dicitur autem *Ut sic*; quia non tantum in materia hæreditatis, sed etiam in aliis datur. Ad præsens autem specialiter loquendo in materia hæreditatis: « Est jus, quo alicui jam habenti aliquid de hæreditate accrescit alia hæreditatis portio ex certa

causa vacans. » Calvinus, loc. cit.; Ludwell., *de Ultim. volunt.* p. 1. cap. v. cum communi, arg. l. IX. ff. *de Suis et legitim. hæred.*

556. *Quibus competat?* — Resp. II. Quodcumque plures instituuntur hæredes, et unus, vel plures adeunt hæreditatem; unus vero, vel plures eandem repudiant, vel ex alia ratione eam acquirere nolunt, aut non possunt, tunc horum portio vacans accrescit adeunti hæreditatem. Communis ac certa textu *claro*, cit. l. *Si ex pluribus. 9. ff. de Suis et Legitimis. hæred.* ibi: « Si ex pluribus hæredibus legitimis quidam omiserint adire hæreditatem, vel morte, vel aliqua alia ratione impediti fuerint, quominus adeant; reliquis, qui adierint, accrescit illorum portio. »

Reliqua de jure accrescendi relinquimus legistis, qui hanc materiam pro una ex difficillimis et subtilissimis in jure reputant, ut puta Vult., ad § fin. *Instit. de Donat.* nu. 1. adeo, ut nulla in jure spinosior sit, ut opinatur Hotom., III. q. 44. Bene de hoc jure discurrit Ludwell., loc. cit.; Tuschus, litt. I. conclus. 565. et seq.

§ XVIII.

DE SUBSTITUTIONIBUS.

557. *Substitutio, quid?* — Postquam huc usque egimus de principali specie ultimæ voluntatis, pergimus modo ad reliquas ultimarum voluntatum species, substitutiones nempe, fideicommissa, legata, et donationes mortis causa, et codicillos. Et quia inter has principalior est substitutio, utpote propinquius accedens ad essentiam testamenti, prius de hac in præsentibus paragrapho agemus. Hinc

558. *Alia est directa, alia indirecta.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit substitutio? Ante responsionem nota, multum, sed plane inutiliter controversere aliquos doctores circa definitionem substitutionis, nonnullis amplectentibus definitionem datam l. I. ff. *de Vulg. et pupill. substit.* ubi definitur substitutio, « quod sit hæredis secunda institutio: » alii eandem ut minus sufficientem rejicientibus. Resp. I. « Substitutio est subordinata hæredis institutio, aut vocatio ad rem aliquam ex ultima voluntate. » Pirhing, h. t. n. 60; Wesenbec., in l. I. ff. *de Vulg. et pupill. substit.* Estque in re communis arg. cit. l. ff.

de Vulg. et pupill. substit. Et potest ex terminis. Solum notanda verba, « aut vocatio ad rem aliquam ex ultima voluntate : » quæ ideo sunt addita, ut conveniat cuivis substitutioni etiam indirecte, ac in legatis factæ. Quamvis enim propriissime *Substitutio* dicatur, si in locum unius hæredis substituatur alius, casu quo primus hæreditatem adire nollet vel non posset, arg. cit. l. I. ff. *de Vulg. et pupill. substit.* Tamen etiam indirecte, ac in legatis fieri potest substitutio, ut bene advertit Covarruvias, *de Testam.* cap. xvi. § 4. n. 1. Textu claro l. *U. hæredibus.* 50. ff. *de Legatis II.* ibi : « Ut hæredibus substitui potest, ita et legataris. » Hinc ut omni substitutioni definitio conveniret, addita sunt præfata verba.

559. *Differentia inter utramque.* — Resp. II. Substitutio primo dividitur in directam, et indirectam, seu obliquam. Covarruvias, loc. cit. n. 2; Pirhing, h. t. loc. cit.; Hunn., p. IV. tit. XVIII. n. 6. et communis aliorum. Directa est, qua quis immediate ab ipso testatore absque ullo ministerio alterius instituti, hæreditatem consequitur : ut si testator dicit : « Hæredem instituo Titium, qui si hæres non erit, » puta quia non vult, aut non potest, « Hæres mihi sit Caius, » sive « Hæredem substituo Caium. » Indirecta vero seu obliqua substitutio (quæ etiam fideicommissaria appellatur) est, qua quis hæreditatem non immediate ab ipso testatore, sed mediante alio prius instituto juxta dispositionem tamen testatoris accipit, dum nempe institutum rogat, eique mandat, et fidei ejus committit, ut hæreditatem ex toto vel ex parte substituto restituat. Talis est, si testator dicat : « Lucium hæredem instituo, voloque, vel mando, aut rogo, ut eam Sempronio restituat. » Ita cum communi aliorum doctores citati, quibus adde Schneidew., ad prin. Instit. *de Vulg. et pupill. substit.* n. 6; Abbas, h. t. in c. *Raynutius*; Jason, in Rub. ff. *de Vulg. et pupill. substit.* In dubio præsumitur substitutio directa, textu claro c. l. h. t. in 6. Ratio est, quia regulariter mavult testator, ut substitutus a se, quam ab alio hæreditatem capiat.

560. *Substitutio directa adhuc multiplex est.* — Differt autem substitutio directa ab indirecta in pluribus. Et I. quidem, quod directe substitutus capiat totam hæreditatem sine ulla diminutione : indirecte vero substitutus pati debeat detractionem Trebellianicæ, quam facere potest directe institutus

juxta dicta superius n. 473. II. Quod si directe institutus non adeat hæreditatem, vel ante testatorem moriatur, exspiret substitutio indirecta, seu fideicommissaria : non item directa.

Substitutio directa ulterius dividitur in vulgarem, pupillarem, exemplarem, reciprocam seu breviloquam, et compendiosam. Covarruvias, loc. cit.; Pirhing, loc. cit.; Schneidew., et communis aliorum.

561. *Alia est enim vulgaris : et quæ?* — Quæritur II. Quid sit, et quos effectus habeat substitutio vulgaris? Resp. I. Est substitutio directa, qua quis (testandi capax) quemvis (hæreditatis, vel legati capax) substituere, seu in locum alterius vocare potest. Covarruv., loc. cit. n. 3; Schneidew., loc. cit. n. 8; Bart., in l. I. n. 5. ff. *de Vulg. et pupill. substit.*; Hunn., loc. cit. n. 1; Pirhing, h. t. n. 61 et communis aliorum. Dicitur vulgaris; quia cuivis tam suo nempe, quam extraneo hæredi fieri potest. Covarruvias, loc. cit. citans Theophil. in prin. Instit. *de Pupill. substit.* Potest autem hæc substitutio ob duplicem causam fieri; videlicet, vel quia hæres institutus hæreditatem adire non vult; aut quia non potest, utpote præmortuus, vel lege impeditus. Qui uterque casus a testatore potest vel generalibus, vel specificis et expressis verbis exprimi. Generaliter exprimitur uterque, si testator absolute et generaliter dicit : « Titium hæredem instituo, qui si hæres non erit, Titium substituo, vel Titius hæres esto, » vel si dicit, « Caium et Sempronium hæredes instituo, illosque sibi invicem substituo. » Specialibus verbis fit : si testator dicat v. g. « Titium hæredem instituo, qui si hæres non potuerit, vel noluerit esse, substituo Caium : » vel si tantum unum casum exprimat dicendo v. g. « Caium hæredem instituo : cui, si hæres esse nolit, Mævium substituo. » Controversia modo est inter doctores, an substitutio semper ad utrumque casum extendatur ac intelligenda sit. Ad quam decidendam

562. *Valet substitutio vulgaris, sive institutus nolit, sive non possit adire hæreditatem.* — Resp. II. Substitutio vulgaris ad utrumque casum extenditur non tantum, quando verbis generalibus, vel specialibus uterque casus tam impotentis, quam nolentis scilicet exprimitur, sed etiam quando verbis expressis unicus casus, v. g. sola impotentia hæredis, vel sola contraria voluntas succedendi in testamento ex-

primitur, dicendo v. g. « Titium hæredem instituo, cui si hæres esse nolit, Caium substituo : » aut « Pium hæredem instituo, eique, si hæres esse nequeat, Mævium substituo. » Prima et secunda pars est certa apud omnes unanimiter concedentes substitutionem, qua dicitur : « Titium hæredem instituo, eique vel nolenti, vel non potenti adire hæreditatem. substituo Lucium, » esse validam, sive nolit, sive non possit institutus hæres adire hæreditatem. Menochius, *de Præsumpt.* lib. IV, præsumpt. 65. Grass., *de Success.* §. *Substitutio.* q. 1, n. 7; Surd., consil. 236, n. 23.

Tertia pars docetur a Covarruvia, cap. xvi. h. t. § 4, n. 5; Molina, disp. 183, n. 2; Gomez, *Variar. resolut.* cap. III, n. 10; Grass., loc. cit. et communissima aliorum, arg. l. *Gallus* ff. *de Liberis et posthum.* et l. fin. c. *de Posthum. hered. instit.* Fundamentum ulterius desumitur tum ex præsumpta voluntate testatoris : tum ex identitate rationis : Nec enim est major ratio, cur velit testator substituto assignare hæreditatem, si hæres institutus adire nolit, et non, si adire prohibetur a lege, vel e contra. Et certe merito præsumitur, quod si testator dicens, se velle Caium substitutum, si Titius institutus adire hæreditatem non possit, interrogatus fuisset, an non eundem substitutum velit, si adire nolit, esset responsurus affirmative : habetur autem hoc pro disposito, de quo si fuisset testator ipse interrogatus, verosimiliter respondisset se ita velle, ut tradit Glossa, in l. *Tale pactum.* §. *Qui provocavit.* ff. *de Pactis.* et ibi copiose Jason, ac post alios Decius, in consil. 89, n. 1.

563. *Et consequitur substitutus totum id, quod institutus habuisset.* — Resp. III. Substitutio vulgaris plures, præcipue autem sequentes habet effectus. I. Est, quod si institutus hæreditatem adire nolit, aut non possit, morte v. g. præventus, aut alias lege prohibitus, succedat substitutus, tantumque consequatur, quantum consecutus fuisset hæres institutus, cui substitutus est. Schneidewin, lib. II. tit. XV. *de Vulg. substit.*; Ludwell., *de Ultim. volunt.* p. II; Pirhing, h. t. n. 61. cum communi et certis aliorum arg. l. *Quandiu.* 69. ff. *de Acquir. vel amittend. hered.* Et consequenter testamentum, quod in instituto deficit, a substituto vires, et valorem accipiat, arg. l. III. ff. *de Liberis, et posthum.* De bonis tamen ipsius instituti substitutus nihil consequitur, in quo differt pu-

pillari substitutione juxta dicenda infra Schneidewin; Pirhing, loc. cit.; Sylvester, §. *Hæreditas.* 4. q. 4.

564. *Continet substitutio vulgaris expresse tacitam pupillarem.* — II. Quod vulgaris substitutio expressa contineat tacitam pupillarem; Covarruvias, h. t. cap. xvi, § 4, n. 6; Schneidew., loc. cit.; Ludwell., *de Ultim. volunt.* p. II. cap. II. et communis aliorum. arg. l. *Jam hoc jure.* 4. ff. *de Vulg. et pupill. substit.* Hinc si pater dicit : « Filium meum hæredem instituo, eique, si hæres non erit, Titium substituo, » est substitutio vulgaris expressa, includit tacitam pupillarem ita, ut si filius post aditam hæreditatem ante annos pubertatis moriatur, Caius vi tacitæ pupillaris substitutionis succedat. Limitat autem Covarruvias, loc. cit.; Ludwell., loc. cit.; Jason, in l. *Precibus.* 8. c. *de Impuber.* n. 6. et communis aliorum hunc effectum, in casu, quo mater impuberis adhuc in vivis degit, hanc enim præferri substituto, probatur ex cit. l. *Precibus.* ibi : « Eo defuncto ad te (matrem nempe) omnino ejus pertineat institutio, et l. fin. c. *de Instit. et substit.*

565. *Et facit ex hærede suo voluntarium.* — III. Quod ex hærede suo et necessario voluntarium efficiat, ita ut non tantum jure prætorio, sed civili hæreditatem repudiare valeat. De quo sicut et aliis vulgaris substitutionis effectibus vide apud Bartolum, et alios legistas ad l. I. ff. *de Vulg. et pupill. substit.* bene etiam de eisdem scribit Ludwell., loc. cit.; Hunn., p. IV; tit. XVIII. et alii.

566. *Substitutio vulgaris expirat, post aditam hæreditatem.* — Quæritur III, quando nam exspiret substitutio vulgaris? Resp. I. Regula est; quamprimum hæres institutus adit hæreditatem, substitutio vulgaris expirat, et evanescit. Communis ac certa, textus expressus est in l. *Post aditam.* 5. c. *de Impub.* ibi : « Post aditam hæreditatem directæ substitutiones non impuberibus filiis factæ expirare solent. » Ratio est, quia substitutio vulgaris fit sub conditione, videlicet, si institutus hæres non erit; consequenter si institutus hæres fit, conditio defecit, sicque actus sub conditione factus, conditione deficiente deficit, arg. l. I. c. *de Donat. quæ sul modo,* et aliis juribus n. 552. citatis.

567. *Nisi impubes sit hæres.* — Limitatur tamen conclusio I. in casu, quo substitutione vulgari facta pupillo, hic ante pubertatis annos expirat, quia in hoc casu vulgaris ex-

pressa continet tacitam pupillarem juxta dicta n. 564. Unde notanda verba in cit. I. *Post aditam, substitutiones non impuberibus facte.*

568. *Vel pubes intra annum, voluntatem defuncti adimplere negligat.* — Limitatur II. Si hæres post aditam hæreditatem, intra annum voluntatem defuncti non adimplet, tunc enim lex hæreditatem instituto auferit, et substituto, si de adimplenda voluntate defuncti cavet, applicat. Ludwell., loc. cit.; Hunn., loc. cit. cap. v. n. 7. et communis aliorum. Authen. *Hoc amplius. c. de Fideicommissis.* ibi: « Qui defuncti judicium monitus a iudice intra annum non implet, excluditur, etc. hoc autem cum onere suo, danda super hoc cautione, defertur primo substitutio. »

569. *Exspirat etiam, si substitutus ante institutum, vel ante aditam ab ipso hæreditatem moritur.* — Resp. II. Pariter exspirat substitutio vulgaris, si substitutus ante institutum, vel saltem ante aditam ab ipso hæreditatem moritur. Molina, disp. 483, n. 8; Pirhing, h. t. n. 61, et communis aliorum. Ratio manifesta est, quia hæreditas non adita non transferatur ad hæredes l. un. § *In novissimo.* 5. c. *de Caduc. toll.* et l. *Sed si plures.* 10. ff. *de Vulg. et pupill. substit.*

570. *Quæritur substitutio, quid?* — Quæritur IV. Quod, et quotuplex sit substitutio pupillaris? cur, a quo, et quomodo fieri possit? Resp. I. Substitutio pupillaris est, qua parentes liberis adhuc impuberibus hæredibus institutis alium hæredem substituunt. Schneidew., lib. II. tit. XVI. *de Pupill. substit.*; Hunn., loc. cit. tit. XIX; Covarruvias, h. t. cap. XVI. § 5; Ludwell., loc. cit. et communis aliorum, arg. prin. Instit. *de Pupill. substit.* ubi etiam causa originalis hujus substitutionis allegatur, videlicet, ut, « quia pupilli impuberes testamentum facere non possunt, pater eorum loco faceret. »

571. *Alia est pupillaris expressa, alia tacita.* — Resp. II. Substitutio pupillaris duplex est, una expressa, altera tacita; expressa est, quando testator expressis verbis etiam meminit conditionis, quod « si filius impubes ante annos pubertatis decedat, velit hunc vel illum substitutum. » Tacita est, ipsa vulgaris expressa, qua impuberi absque expressa mentione primum dictæ conditionis instituto hæredi substituitur alius: quia juxta supra n. 564. dicta vulgaris expressa semper continet tacitam pupillarem. Sic v. g. Substitutio pupillaris expressa erit, si testator ita

dicit: « Filium meum hæredem instituo eique, si hæres non erit, vel si hæres erit tamen ante annos pubertatis moritur, Caium substituo, » vel si omisso primo membro absolute dicat: « Filius, aut filia mea hæres sit, cui, si ante annos pubertatis decedat, substituo Titium; vel cujus loco, si ante pubertatem moritur, hæres sit Titius. » Substitutio vero tacita pupillaris erit sequens: « Filius meus impubes, » vel absolute, « Filius, meus hæres sit; qui si hæres non erit, hæres sit Titius, » vel « Substitutio Titium. » Schneidew., loc. cit. n. 4; Cov., loc. cit.; Hunn., loc. cit. n. 5. Donnell., lib. VI. *Comment.*; Pirhing, h. t. sect. 3, § 3. et communis aliorum, arg. prin. Instit. *de Pupill. substit.* ibi: « Liberis suis impuberibus, quos quis in sua potestate habet, non solum ita, ut supra diximus, id est, ut si hæredes ei non extiterint, alius sit ei hæres (quæ est vulgaris expressa, et tacita pupillaris,) sed eo amplius ut si hæredes ei extiterint, et adhuc impuberes mortui fuerint, sit eis aliquis hæres: » veluti, si quis dicat hoc modo: « Titius filius meus hæres mihi esto; et si filius meus hæres mihi non erit, sive hæres erit, et prius moriatur, quam in suam tutelam venerit, tunc Seius hæres esto. » Concordat, l. II. ff. *de Vulgar.*

572. *Solis impuberibus in potestate patria testatoris constitutis fieri potest pupillaris substitutio.* — Resp. III. Solis liberis impuberibus etiam posthumis, et nepotibus in patria potestate testatoris adhuc constitutis, et consequenter a solo illo, qui hos in sua potestate habet, substitutio pupillaris fieri potest. Grassus, *de Success. et substitut.* q. 62; Sichard, ad l. *Preibus.* n. 16. *de Impub. et aliis substit.*; Schneidew., loc. cit.; Hunn., loc. cit. tit. XIX. cap. I. cum communi et certa aliorum; textu claro l. II. ff. *de Vulg.* ibi: « Moribus introductum est, ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit, donec masculi ad quatuordecim annos pervenerint, femellæ ad duodecim. Quod sic erit accipiendum, si sint in potestate. Cæterum emancipatis non possumus. Posthumis plane possumus: nepotibus etiam possumus. Et deinceps si qui non sunt relapsuri in patris potestatem. » Ex quibus ultimis verbis patet, quod avus nepoti, vivente hujus patre, non semper efficaciter possit aliquem pupillariter substituere; licet enim nepos de jure communi sit in potestate avi, etiam vivente adhuc patre; quia tamen dum mori-

tur avus, nepos illico relabitur in potestatem patris, vi doctorum ultimorum verborum: « Avus nepoti ita relabenti substituere non potest. Sed si eos patres præcedant (pergit citata l. II.) id est, si pater nepotis, ante nepotem impuberem moritur, ut proin in ejus potestatem nepos avi non incidat, substitui ei potest. »

573. *Mater non potest facere substitutionem pupillarem.* — Infertur, quod mater nunquam facere possit substitutionem pupillarem, Covarruvias, loc. cit. n. 48; Bartolus, ad dictam l. II. et doctores communiter. Ratio est, quia liberi nunquam sunt, neque dicuntur esse in potestate matris, sed patris, vel avi.

574. *Requisita ad validam substitutionem pupillarem.* — Resp. IV. Ad hoc, ut substitutio pupillaris rite fiat, et valeat, plura requiruntur. Patet inductione. Nam præter hoc, quod non nisi impuberi in potestate testatoris constituto fieri debeat, requiritur ulterius I. Ut substituens prius faciat pro se testamentum. l. II. § 1. ff. *de Vulg.* ibi: « Quisquis autem impuberi testamentum facit, sibi quoque debet facere. Cæterum soli filio facere non potest: nisi forte sit miles. » II. Ut in dicto testamento prius illum, cui substituere vult, scribat hæredem, vel exhæredet, quod ita necessarium est, ut si prius substituatur, et postea hæredem scribat, substitutio sit nulla, cit. l. II. prin. ibi: « Si instituti, vel exhæredati fuerint » (ubi nota, etiam exhæredatis substitui posse) et § 4. ibi: « Prius autem sibi quis debet hæredem scribere, deinde filio substituere, et non convertere ordinem scripturæ. Cæterum, si ante filio (per substitutionem) deinde sibi testamentum faciat, nil valere. » III. Ut proles, cui substituitur, ante mortem testatoris substituentis non attingat annos pubertatis, et maneat adhuc in ea potestate, arg. l. Cohæredi. 41. § *Cum filius.* 2. ff. *de Vulg.* et l. *In pupillari.* 14. ff. eod. ibi: « In pupillari substitutione. licet longius tempus comprehensum fuerit, tamen finitur substitutio pubertate. » Pariter finietur, si impubes vivo substituente fuerit emancipatus, Schneidew., loc. cit. n. 9; Gilken, ad l. *Post aditam. c. de Impub. et aliis substit.*; Jason, in l. II. n. 21. ff. *de Vulg.*; Grassus, loc. cit. q. 23, n. 40. cum communi. IV. Requiritur, ut substitutus hæreditatem patris testatoris adeat; hanc enim si repudiat, nec impuberis hæreditatem adire potest. Communis ac certa,

textu claro l. II. § 1. ff. *de Vulg.* ibi: « Nis adita quoque patris hæreditas sit, pupillare testamentum evanescit. » et l. *Sed si plures.* 10. § 4. ff. eod.

575. *Substitutus pupillariter succedit tam in bonis pupilli, quam testatoris substituentis.* — Quæritur IV. Qui sint effectus substitutionis pupillaris? Resp. esse præcipue tres sequentes. Primus et principalis effectus est, quod vi illius substitutus succedat non tantum in bonis, seu hæreditate testatoris substituentis, sed etiam in bonis illius, cui substitutio facta est, undequaque dein sive a patre, sive a matre, sorore, donatione, etc., illa habeat, casu quo talis ante pubertatem moritur. Communis ac certa textu claro l. *Sed si plures.* 10. § 5. ff. *de Vulg.* ibi: « Ad substitutos pupillares pertinent, etsi quæ postea pupillis obvenierint, » ubi etiam ratio additur: « Neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis. » Alia ratio assignatur prin. Instit. *de Pupill. substitut.* nempe quia pater substituens pro impubere jam fecit testamentum, ibi: « Nam moribus introductum est, ut cum ejus ætatis filii sint, in qua sibi ipsi testamentum facere non possunt, parentes ei faciant. » Et in hoc principaliter differt a substitutione vulgari, utpote vi cujus substitutus in solis bonis testatoris substituentis, et non illius, cui substituitur, succedit, juxta jam dicta n. 563.

576. *Substitutio pupillaris expressa continet tacitam vulgarem.* — Secundus effectus est, quod substitutio pupillaris expressa contineat vulgarem tacitam, sicut supra n. 564. diximus, in vulgari expressa contineri tacitam pupillarem; sive dein fiat verbis vulgarem quoque exprimentibus, v. g. dum pater ita testatur: « Filium meum hæredem instituo, eique, si hæres non erit, vel si erit, tamen ante pubertatem moritur, Caium substituo: » sive fiat verbis solam pupillarem expresse manifestantibus, v. g. « Filium hæredem instituo, eique, si ante pubertatem decedat, Caium substituo. » Covarruvias, loc. cit. § 5; Schneidew., loc. cit. n. 14; Mantica, *de Conject. ultim. volunt.* lib. V. tit. III; Zasius, *de Substitut. pupill.* n. 18. et communis aliorum, arg. l. *Jam hoc jure.* ff. *de Vulg.* ibi: « Jam hoc jure utimur, ut cum pater impuberi filio in alterum casum substituisset, in utrumque casum substituisse intelligatur: sive filius hæres non extiterit, sive extiterit, et impubes decesserit. » Hinc fit, si post mortem testatoris superstes filius